

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei

Nobili Viro Swantopolco Duci Pomeranie

Spiritum compunctionis sanctum

Swantopolcus Pomeranie Dux in Christianos deserviens obvirgatur.

Potentie tue robur in eo deberes experiri potissimum, quod esset Deo placitum, et Christiane Religionis proferret augmentum. Sed tu, sicut mirantes accepimus, contrarium efficere niteris, non absque gravi contumelia Creatoris, fideles eius et dilectos filios fratres Hospitalis sancte Marie Theutonicorum constitutos in terra Culmensi, et Pruscie partibus diris affligendo molestis, et quod est gravius invadendo multotiens cum paganis. Stupent qui audiunt tanti erroris excessum, presertim cum omnem ti-

rampridem, omnem superet feritatem, cum
Letoinis, et Prutenis familiam Redemptoris
impetere, et contra peregrinos innoxios dam-
pnate gentis gladium concitare, destruendo
negotium fidei, pro quo a longis retro tem-
poribus, et Ecclesia multam sollicitudinis
habuit, et christianus populus cum sui
effusione sanguinis labores multiplices tole-
ravit. Videndum est tibi, vir nobilis, ne pro-
pter hoc contra te provoces iram Dei, et
res apostolice Sedi presumendi materiam,
quod fidei puritate careas, et tibi sit in gau-
dium claves Ecclesie deducere in contem-
ptum, sicut patens ex eo coniectura sumi-
tur, quod tu pro afflictione Cleri, Ecclesia-
rum desolatione multiplici, ac pro multis hor-

rende impietatis excessibus, iam per octo annos,
 ut aperiatur, excommunicatione ligatus, redire
 ad mandatum Ecclesie non curasti. Te itaque
 per Domini Iesu Christi crucem, et sanguinem
 obsecramus, quatinus omni dilatione, et occasio-
 ne postpositis, ad pium rediens matris Eccle-
 sie gremium, negocium Christi, quod in Pru-
 scia geritur, efficaciter habeas commendatum,
 predictis fratribus, et eisdem fidelibus te red-
 dendo affabilem, ac eisdem pro divina, et no-
 stra reverentia benivolum prestando fa-
 vorem, ut ex hoc celi Regem constituas ti-
 bi propitium, et apostolica Sedes que Cul-
 mensem, et acquisitas Prusie terras in ius
 et proprietatem beati Petri recepisse dino-
 scitur, ex hoc tibi ad speciales gratias teneat

tur. Alias autem, cum non propius Dei cau-
sam negligere, qui ius suum studemus uni-
cuique conservare, contra te, quod absit, in
talibus persistentem excipibus taliter aucto-
re Domino procedemus, ut de necessitate per-
cipias qualiter Ecclesia corde tangitur, quod
per te fidei negotium sic dampnabiliter
perturbatur. Datum Lugduni Kalen-
dis februarii Anno secundo.

Descriptum, et recognitum ex autographo Regesto Lite-
rarum aplicarum f. r. Innocentii P. P. IV., an. II. ep. 285.,
quod adseruatur in Tabulariis secretioribus Vaticanis.
In quorum fidem

Dabamur. VII. Kalendas Junii MDCCCXXXVII.



M. Morini

Tabular. S. R. E. Prefectus